

specie. Usus ille sole, mox frigida; gustauerat jacens, studebatque; poscit soleas, adscendit locum, ex quo maxime miraculum illud conspici poterat; nubes (incertum procul intuentibus, ex quo monte: Vesuuium fuisse postea cognitum est) oriebatur, cuius similitudinem et formam non alia magis arbor, quam pinus expresserit. Nam longissimo velut truncu elata in altum, quibusdam ramis diffundebatur; credo quia recenti spiritu euecta, deinde senescente eo destituta, aut etiam pondere suo vieta, in latitudinem vanesceret: candida interdum, interdum sordida et maculosa, prout terram cineremue sustulerat. Magnum proprius noscendum id eruditissimo viro visum. Jubet Liburnicam aptari: mihi si venire una vellem, facit copiam. Respondi, studere me malle: et forte ipse, quod scriberem, dederat: egrediebatur domo, accipit codicillos. Retinae classiarii imminentि periculo exterriti (nam villa ea subjacebat, nec ulla nisi nauibus fuga) ut se tanto discrimini eriperet, orabant. Non vertit ille consilium, sed quod studio animo inchoauerat, obit maximo. Deducit quadriremes, adscendit ipse non Retinae modo, sed multis, (erat enim frequens amoenitas orae) latus auxilium. Properat illuc, unde alii fugiunt; rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo solitus metu, ut omnes illius, mali motus, omnes figuræ, ut deprehenderat oculis, dictaret enotaretque. Jam nauibus cinis inciderat, quo proprius accederet, calidior et densior; jam pumices etiam, nigrique et ambusti et fracti igne lapides; jam vadum subitum, ruinaque montis littora obstantia, cunctatusque paullum, an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti, *fortes*, inquit, *fortuna juuat: Pomponianum pete.* Stabiis erat, diremthus sinu medio. Nam sensim circumactis curuatisque littoribus mare infundifur. Ibi, quamquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen, et, quum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naues, certus fugae, si contrarius ventus resedisset: quo tunc auunculus meus